



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>




This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



24535 d 1





24535

d. l.



202

DE
 REBUS GESTIS
 RICHARDI ANGLIÆ REGIS
 IN PALÆSTINA.

EXCERPTUM EX
 GREGORII ABULPHARAGII
 CHRONICO SYRIACO.

EDIDIT VERTIT ILLUSTRAVIT
 PAUL. JAC. BRUNS, LL. D.

AGITE ERGO; QUÆ INSIGNIORA INGENII MONUMENTA AUT
 RARIORA VETUSTATIS EXEMPLA LATEBRIS JAM SEPULTA
 DELITESCUNT, AB INJURIA OBLIVIONIS ASSERTITE ET OPES
 BODLEIANAS IN LUCEM ET PUBLICUM LIBERALITER PRO-
 FERENTES TYPOGRAPHEI CLARENDONIANI NOMEN ET FA-
 MAM ÆTERNITATI CONSECRATE.

Conclusio Orat. Crewianæ habitæ iv Jul. M DCC LXXX, a cl. BANDINEL, S.T.P. Orat. Publici

O X O N I I :

Prostat Venal. apud J. & J. FLETCHER; D. PRINCE & J. COOKE, Oxon. — BEN. WHITE
 & T. PAYNE, Londini. M DCC LXXX.

24535

d. 1

D. B.M.
 Mar. 89



MUSEUM
BRITAN
NICVM

BRITISH MUSEUM
Transferred
1889
DUPLICATE.

BODLEIAN LIBRARY
15 APR. 89
OXFORD

BRITISH MUSEUM
LONDON

GREGORIUS Abulpharagius sive Bar-Hebræus, qui claruit Seculo XIII, Medicus et postea Primas Orientis, magnam famam in Europa consecutus est Historia Dynastiæ, quam Arabice et Latine edidit doctissimus Pocockius, Oxonii 1663. Catalogum et argumenta aliorum ejus operum ad Theologiam, Philosophiam, Medicinam, Astronomiam, Grammaticam et Historiam spectantium suppeditavit cl. Assemanus in Biblioth. Orient. T. 2. p. 268 &c. p. 275 &c. Quo quidem teste locuplete Chronicon Syriacum ceteris hujus auctoris operibus palmam longe præripit. vid. t. c. p. 312 coll. catal. MSS Biblioth. Vatic. T. 3. p. 342. Quare fusc id descripsit p. 311 &c. alteramque et tertiam sive ultimam ejus partem, quæ de Patriarchis Jacobitarum et Primatibus Orientis agunt, in Bibliothecam suam fere integras transfudit p. 321 &c. Primæ, historiam universalem complectentis ab orbe condito ad annum C. 1299 (continuata enim est a nescio quo post obitum Abulpharagii a. 1286; secus est in historia Dynastiæ Arabica, quæ desinit in annum 1285) fragmenta tantum, neque ea magni momenti, ex primis centum codicis sui paginis, qui multo pluribus constat, excerptit. Hæc vero pars licet initio fere congruat operi Arabico, tamen in extremis sectionibus ab eo mirum quantum discedit. Multo prolixior est; multasque res, in primis de expeditionibus cruciatis, exponit, quæ in historia dynastiæ plane prætermittuntur: ita, ut decursus annorum, qui describitur intra spatium tertiæ partis in opere Arabico, in Syriaco fere dimidiam occupet. Qui fidem dictis adhibere nolit: conferat velim excerpta apud Assemanum et hoc, quod nunc prodit, cum Abulpharagio Arabico. Quare operam non male collocasse mihi videor, quod hanc Chronici partem ex MStis Bodleianis Huntington. 1 et 52 descripsi. Prior codex præter integrum Chronicon multa alia Bar-Hebræi opera continet, scriptus a Josepho, monacho Mar-

denfi

denſi anno C. 1498, qui munere ſuo negligenter functus eſt, in primis multarum omiſſionum ob ὁμοιόλεπτα, ortarum reus peragendus. Poſterior primam tantum partem Chronici complectitur cum appendicibus quibuſdam, quas nunc enarrare non opus eſt. Hicce codex non ſolum priore, forte centum annis vetuſtior eſt, ſed etiam longe accuratius ſcriptus; primumque mihi innotuit benevolentia cl. Whitii. De apographo meo, laboreque, quem ei exſcribendo, recognoſcendo, partim vertendo, inſumſi, nil attinet multa dicere: neque de ejus fatiſ in præſens conjecturam facere volo. Hæc enim cum ceteris humanis ἐν Θεῶν γένοισι. Me ad edendum hunc egregium factum Syriacæ diligentia paratum eſſe, ſimul ac otio fruar ad eum vertendum et illuſtrandum; non dubitandum eſt: num huic perficiendo labori ſatis idoneus ſim, judicent Syriacarum litterarum periti, hoc perlecto ſpecimine. Iſtud vero non ideo ſelegi, quod ſingulari ſeſe commendat præſtantia, licet ſuis minime careat laudibus (abſolvit enim inclytum Angliæ Regem capitaliſ facinoriſ, cujuſ poſtulatui fuerat) ſed quod Angliſ, quibus hunc theſaurum, quo præter Bodleianam et Vaticanam Bibliothecam fortaffe nulla alia in Europa ſuperbit, indicare volui, id non ingratum fore ſperabam. Iidem tamen ignoſcant velim, ſi de hoc opuſculo nimis arroganter ſentiam. Spectat vero excerptum hoc ad magnanimum Angliæ Heroa et Regem, Richardum, cognominatum Cor Leonis, in Palæſtina fortiter dimicantem annis 1191 et 1192: cujuſ reſ geſtæ non tantum Arabicis litteriſ proditæ fuerunt a Bohadino aliſque, qui adhuc in Bibliotheca Bodleiana deliteſcunt, ſed, uti nunc demum patet, etiam Syriaciſ. Verſionem confeci fidiffimam, quæ verbum verbo reddit; ita tamen ut ab iſiſ, qui eam cum Syriaco textu conferre nequeunt, intelligi poſſit. Atque hanc rationem interpretandi vetuſtatiſ monumenta, viriſ erudiſiſ unice probari, me non fugit. In notiſ brevis eſſe ſtudi; neque otio abundo, ad patriam revifendam properans.

Versio Excerpti Syriaci de RICHARDO, Angliæ Rege.

TUM exiit rex Angliæ et eripuit Cyprum Græcis; progressus deinde castra posuit ad Accam, cujus adventu Franci valde firmati sunt. Intus vero erant 20 Emiræ Arabici, qui [legatos] miserunt dixeruntque Saladino: dudum depressi sumus et desperavimus bello affiduo. Quin morbus nos vexat. Jussit Saladinus eos egredi a latere maritimo, ut iis alios substitueret. Qui quum essent parum periti belli contra murum: magis urgebant Franci, et 7 machinas erexerunt contra unam turrem. Misit vero Rex Angliæ legatum ad Saladinum, qui dicebat: Nulla noxa erit, si ego et tu alicubi convenerimus, et fœdus sanxerimus de eo quod lucro erit utrique parti. Saladinus vero respondit: par est ut antea fœdus pacis confirmetur, tum conventus mutuus; quia post familiaritatem et convivium, bellum parum convenit. Hisce diebus laboravit Anglus morbo gravi; Francique tardaverunt bellum propter morbum ejus. Quum convalesceret: misit legatum ad Saladinum, dixitque: ne accuses, quod sermonem meum tibi abscidi, quia morbus mihi impedimento fuit. Nunc convalui, misique ad te, ut, si tu concedis, dona tibi mittam: quia non par est, reges sibi invicem denegare dona, legationes, et amoris significationes, licet bellum inter eos exarserit. Sic docuerunt nos leges patrum nostrorum, regum priorum. Saladinus respondit: placet, si vos accipietis a nobis commutationem donorum vestrorum: accipiemus a vobis dona. Dixit legatus: accipitres, aquilas, † et alias aves edoctas [prædatrices] possidemus, quæ infirmæ sunt; rogamusque ut detis nobis gallinas, et pullos columbarum, quibus eas cibemus ad recuperandum robur; tum ad vos deportabimus. Melec Adelus frater Saladini jocabundus dixit legato: rex Angliæ, siquidem ex morbo convaluit, columbis indiget et accipitres præterdit. Saladinus vero induit legatum vestibus regiis, et cum eo misit multas gallinas, pullos columbarum et columbas. Postea adhuc 3 legati venerunt a Francis ad Saladinum, petieruntque poma et nivem; quibus accep-

† P. II.
Syr.

tis abierunt. Fertur, Regem Angliæ non rationem habuisse harum rerum inanium ad mittendos legatos repetitis vicibus; sed solum, quod accurate cognosceret potentiam Saladini regumque, qui penes eum erant. Bello obsessos premente, miserunt ad Saladinum dixeruntque: nisi auxilium nos attigerit: ecce trademus urbem. Atque quoniam Saladinus, præterquam quod animum advertabat ad Francos in bello, quod cum eo gerebant, nihil aliud poterat facere; duabus partibus divisi sunt Franci, quarum una cum iis, qui foris erant, pugnat, altera cum iis, qui intus. Hi vero quum viderent sese tandem ad incitas redactos: pro vita sua supplicarunt. Franci dixerunt: non concedemus, nisi postquam nobis dedit Saladinus omnes captivos Francos, qui penes eum sunt; reddatque nobis omnes urbes, quas nobis eripuit. Quod quum nunciarent Saladino, respondit: 3000 tantum captivos dabo pro Arabibus, qui sunt Accæ. Si vero mihi concefferint Accam, dabo ego ipsis urbem pro urbe: alias capiant gladio si possint, uti ego in primis † ceteras urbes occupavi. Quod quum audirent Franci: non amplius sese cohibuerunt, sed scalis muros ascenderunt, atque in urbem descenderunt: multoque fuso sanguine coegerunt eos qui supererant, in angulum quendam et dixerunt hi Arabes Francis: ne occidatis nos, donec certiozem fecerimus Saladinum, ut auro captivisque Francis nos redimat, quotquot rogaveritis. Pepereruntque Franci: si abhinc intra 14 dies, scilicet ad novilunium, dederit nobis Saladinus 200000 denarios aureos et 100 captivos eorum, quorum nomina exscribemus, Comites, Conti aliosque; et 1500 captivos, quorum nomina nobis ignota sunt: liberos vos dimittemus. Quum Arabes Accenses per nuncios hanc rem Saladino indicassent: collecti sunt magnates ejus eosque consultavit, qui uno ore dixerunt: isti Arabes fratres nostri sunt. Quomodo eos negligemus? Promisit igitur Saladinus se daturum esse. Atque confestim misit ad loca, coegitque captivos Francos: De auro promisit, se diebus denis continuis tertiam partem daturum esse. Elapsis 10 diebus [nuncium] misit ad Francos, iisque dixit: Dimittite igitur omnes Arabes, qui penes vos sunt: dabiturque vobis tertia pars auri obfidesque pro duabus tertiis aliis: vel date nobis obfides pro tertia parte auri, quam accepistis. Franci vero dixerunt, verbum nostrum solum vobis sufficiat, et fides nostra, quam damus loco obfidum. Ob-

ruit

† P. III.

duruit cor Saladini ; neque iis consensit. Tum Franci irati fuerunt, ligaruntque funibus omnes Arabes et eos eduxerunt † extra urbem in † P. IV. collem ; struxerunt circa eos ligna multa, funes antiquos et vestes vi- liores, quæ vocantur Betati, tanquam murum. Strictis dein gladiis ir- ruerunt et trucidarunt omnes, quando statio Arabum stabat et vide- bat. Numerus vero eorum, qui occisi sunt super muris Accæ tum intus tum foris in colle, affurgit ad 100800 homines. Hæc facta sunt mense septimo Arabum anni Arabum 587, id est, anni Græ- corum 1502 mense Ab. Et memoriam exitii hujus paululum ex- C. 1191. planavimus, quia perquam illustis est inter Arabes, qui volumina scripserunt de injuria, quam hoc tempore Arabes a Francis perpeffi sunt. Expugnata Acca, Franci ibi liquerunt exercitum, qui suffice- ret ad custodiendam eam, et architectos, qui reficerent muros ejus. Illi autem progressi sunt Arsophum versus, Saladinusque similiter cum iis progressus est : pugnaruntque, quotiescunque obviam facti sunt. Die quodam, quando irruebant Arabes in impedimenta Fran- corum, exarsit rex Angliæ et prorupit ingenti vi in Arabes, et dis- persi fuerunt, eorumque multi fugerunt. Penes Saladinum tantum remanserunt 17 viri ex electis Arabum, tibicines et signiferi. Nisi Franci timuissent, ne insidiæ essent, quæ eos impedirent : hoc die cepissent ipsum Saladinum et cecidisset dignitas Arabum. His diebus misit Saladinus architectos et equites, ut arcem Bagrasii come- meatu privarent, eamque vastarent. Eo progressi eamque paululum vastantes audiverunt, Levonum dominum Ciliciæ paratum esse, ut eos adoriretur. † Reliquerunt igitur fugeruntque. Quum vero audi- † P. V. rent Antiocheni de fuga eorum : venerunt Bagrasum, ibique inve- nerunt 12000 mensuras tritici ; quæ Antiochiam deportatæ magnæ erant consolationi ; quippe tum temporis ingens ibi erat fames. Paucis post diebus aggressus Levonus prævaluit contra Francos, iisque eripuit Bagrasum. Misit deinde Saladinus [copias] et diruit Askelonem, eamque incolis orbavit, quia jam pridem Franci ædificaverant Jop- pam, ibique confederant, quippe interjacet Hierosolyma et Askelo- nem. Quare dixerunt Arabes : non possumus servare eam [Askelo- nem.] Saladinus profectus est Hierosolyma, eaque exploravit et mu- nivit hominibus ceterisque. Hisce diebus adiit eum Moez Aldinus, dominus Malatiæ. Et quum de patre suo Sultano Kelig Arslan, et de


de fratribus suis exposuisset, eos velle sibi Malatiam eripere; excepit eum honorifice Saladinus, iique locavit filiam Melec Adeli fratris sui uxorem, dimisitque eum Malatiam. Quo eum ita firmavit, ut non amplius sibi metueret a fratribus vel patre. Rex Angliæ misit legatum ad Saladinum eique dixit: ecce pereunt bello homines nostrarum vestrarumque partium. Quousque sic [fiet] quod ecce rigan-
 † P.VI. tur sanguine gladii nostri et vestri? Redde igitur loca, quæ nobis eripuisti; præsertim vero Hierosolyma, domum adorationis nostræ, cujus causa egressi sumus; ut desistamus, in patriam nostram revertamur, et a nobis quiescas. Saladinus vero respondit: hæc loca non vestra antiquitus fuerunt, sed Græcorum: quæ Arabes initio exitus eorum Græcis surripuerunt. Quum Arabes paulo infirmiores essent: vos advenistis eaque iis abstulistis. † Nos nunc nostra loca repetimus vobisque eripuimus. Quod vero de Hierosolymis dicitis: “domus adorationis nostræ est” etiam domus adorationis nostræ est: et magis eam, quam vos, magni facimus honoramusque, prout Deus præcepit nobis in Korano suo. Denuo legatum misit rex Angliæ ad Saladinum dixitque: cupio ego, ut desponsetur frater tuus Melec Adelus forori meæ, quæ ecce mecum advenit ad adorandum Hierosolymis. Quare si concesseris urbes maritimas fratri tuo, ut arcibus et urbibus solum imperet; pagi vero omnes Templariis et Hospitalariis relinquuntur: hæc fiet affinitas. Etiam ego dabo forori meæ omnes urbes maritimas, quæ in manibus Francorum sunt: habitatioque erit sororis meæ Hierosolymis. Saladinus vero neque hoc concedebat: at Adelus frater ejus incensus libidine misit magnates et seniores ad fratrem suum Saladinum, ut concederet. Et quum valde vexaretur [Saladinus] dixerunt ei astuti: novimus, hoc non factum iri, neque ipsa fœmina filia regis magni consentiet ut nubat Arabi: quod quidem frater ejus probe novit. Fortasse irrisionis modo, siquidem solet festivus esse, in astutia sua hæc proposuit. Quare ne dolore afficias fratrem tuum. Atque ita permotus Saladinus misit legatum de concordia ad regem: qui quum secum detinuisset legatum 3 dies, tertio ei dixit: ecce hos 3 dies noctu dieque permovere studui sororem meam, sed non est permota, dicitque: “si Christianus verus factus fuerit, hoc fiet; alias, non.” Ita pudefactus revertit legatus Sa-
 † P.VII. ladini. Hisce diebus † mortuus est Taki Aldin Omar filius fratris Sa-
 ladini

ladini in via Chalata, quando eam oppugnare volebat. Sed reduxerunt sepelieruntque eum Miapharekitæ. Hic magno odio habuit Christianos, et absque misericordia effudit sanguinem Armenorum aratorum oppressorum in agro Gabalgur. Fuit vero cum eo filius ejus Melec Mansur. Hic se munivit Miapharekitæ, [nuncium]que misit ad Saladinum, qui diceret ei: nisi concessurus esset loca patris sui Taki Aldini, se consensurum esse cum Buchtamara, domino Chalata. Quare neglexit eum tunc Saladinus; sed paulo post dedit loca patris ejus Adelo, ipsi vero Melec Mansuro dedit Edeffam, Harran et Samosatam. Quum moverent ambæ copiæ Francorum et Arabum Askelonem versus, stativa habentes quodam die; Arabes insidias struxerunt Francis, qui egressi fuerant castris ad colligenda ligna. Franci quum viderent insidias sese ostentantes, infederunt quisque equo suo, irruerunt in insidias Arabum, occideruntque tres magnates ex servis Saladini. Francorum capti sunt duo tantum equites ex vulgo. Misit dein Anglus legatum ad Adelum, eumque objurgavit propter insidias, et ei iterum dixit: cupio te videre et tecum colloqui. Fixeruntque Franci tentorium magnum extra castra sua. Adiit igitur Adelus regem Angliæ, ibique confedit integrum diem; et ad vesperam separabantur. Dixit rex Adelo: cupio etiam cum Sultano, fratre tuo, ita sedere in hoc tentorio, eum videre et cum eo colloqui. Quod quum Adelus Saladino nunciaffet: noluit propter duas causas; primum quod timebat, deinde † quod non decebat se eum adire. Respondit † P.VIII. itaque: non æquum est, reges congregari, nisi pace composita. Sed ecce hæc nondum composita est. Si eam facere vult: ego non satis peritus sum, ut cum illo loquar, neque ille mecum. Et necesse est, ut interpres sit inter nos. Quare legatum constituat interpretem: neque opus erit conventu. Hyeme rex Angliæ ivit Accam, et Saladinus ivit Hierosolyma, misitque 24000 denarios aureos, quibus redemit captivos Arabes ex manibus Francorum. Ineunte anno Arabum 588 C. 1192. Franci profecti sunt Askelonem, cœperuntque restituere ejus ædificia. Marchio vero dominus Tyri, quia dissidium ortum erat inter eum regemque Angliæ, propterea quod hic non approbabat, istum nulli alii subjectum Tyri imperare (volebat enim ei Tyrum eripere) promisit Saladino, se cum Arabibus fore, et occupaturum esse Daram cum popularibus suis. Quum hac de re legatus ejus penes Saladinum

num effret, irruebant in Marchionem equitantem duo homines Ismaelita habitu monachorum. Quorum alter quum eum cultro percussisset: socius fugiebat in ecclesiam, quæ erat in vicinia. Marchionem vero vulneratum pariter apportabant in hanc ecclesiam. Et quum monachus Ismaelita socius ejus, qui percusserat, videret eum [Marchionem] adhuc loquentem: etiam ille irruebat in eum in media ecclesia, ictumque iteravit et statim mortuus est. Hi duo Ismaelita a Francis capti et tormentis cruciati dixerunt, regem Angliæ eos misisse. Et propter inimicitiam, quæ inter eos intercedebat, † Franci crediderunt verbis horum ficariorum. Postea autem manifestum fuit, Sinanum, ducem Ismaelitarum, eos misisse. Rex vero Angliæ dedit Tyrum Comiti Henrico; atque hic duxit uxorem Marchionis et cum ea coiit, quum gravida esset [ex Marchione]. Factum legi repugnans. Corroborati deinde Franci sunt, processerunt castraque posuerunt ad Daram, quam Arabibus vi eripuerunt, interfecto ibi quicunque aderat. Hoc tempore Franci ceperunt catervam magnam Arabum, quæ ex Ægypto veniebat, adducebatque aurum Saladino. Qui audiens Francos parare magnum exercitum ut Hierosolyma adorirentur: coegit copias suas, seque ad bellum accinxit. Munitis muris Hierosolymorum, diripuit omnes aquæductus extra Hierosolyma. Quum vero parati essent Franci, ut Hierosolyma adorirentur: dissuasit illis rex Angliæ. Dixit enim: ager Hierosolymitanus sitibundus est; et ecce Arabes corruerunt omnem aquam, quæ circa urbem erat. Fluvius vero plus parasanga distat. Nolite arbitrari Hierosolyma esse, qualis Acca est. Credite, nisi mare [prope esset] ne duos quidem dies possemus commorari Accæ. Omnes obedientes ejus consilio contenderunt Gazam. Saladinus vero licet lætaretur, eos aspectum suum Hierosolymis avertisse: tamen de Ægypto timebat. Tum misit rex legatum ad Saladinum: noli credere, me præ timore vel imbecillitate recessisse. Aries enim non retrogreditur, nisi ut caput feriat. Quare si pacem facere volueris conditione, quam a te exigimus, ecce indicabo tibi. Post multas legationes pax composita fuit, ut loca, quæ Francorum erant, Francis remanerent, scilicet, Joppa ejusque ager, Cæsarea, † Arsoph, Haifa et Acca; sed Antiochia, Tripolis et reliqua loca Arabibus; et Askelon sit desolata. Saladinus dedit Francis quantitatem auri, quam erogaverant in restitutionem Askelonis.

Via

Via deinde patefacta est, advenerunt multi Franci, et adorarunt Hierosolymis. Omnes honoravit Saladinus, iisque dona et vecturas præbuit. Fertur, Regem Angliæ ad Saladinum misisse, eique dixisse: quicumque Francorum non habet tesseram meam, huic ne permittas, ut Hierosolyma adeat. Saladinus congregatis sapientibus suis interrogavit eos: quidnam causæ hac in re regi sit. Illi postquam deliberaverunt, responderunt ei: gravis causa exitus Francorum nulla alia est, nisi adoratio Hierosolymis. Quæ quum illis contigerit: reversi in patriam suam non amplius prompti sunt ad exeundum. Quapropter prohibet eos rex [nunc] ut alio tempore, quando exire vult, promte et sedulo cum eo egrediantur. Quod quum cognovisset Saladinus, [legatum] misit dixitque regi: hi homines alienigenæ sunt: et pace composita, non licet mihi dolore eos afficere. Si tu prohibes eos: licet tibi. Franci vero, Acca capta, prehenderunt duos magnates Arabes; Bar Mashtub et alium, Karakush Eunuchum. Hic fuit natione Græcus, eumque miserat Saladinus in Africam, ubi multas urbes cepit. Rediit deinde in Ægyptum, ibique struxit murum, qui ad hodiernum usque diem nomine ejus appellatur. Iste fuit dux exercitus Arabum, qui Accæ erant. Et quum Franci paciscerentur pretium ejus 8000 denarios: quæsit Bar Mashtub, quot sese redimeret. Dixerunt Franci: † 30000 denariis. Et dixit Karakush: ita etiam ego; non † P. XL enim dabit Bar Mashtub 30[000] et ego 80[000]. Riserunt Franci atque etiam ab eo sumserunt 30000 denarios. Sunt ejus dicta alia hujus similia; et Poeta quidam librum integrum confecit de Karakush, quem post ejus mortem edidit. Pace composita, profectus est Saladinus Berytum; eumque adiit Boemondus Princeps Antiochiæ, quem Saladinus magnis honoribus profectus est; induit etiam eum et 14 magnates, qui cum eo erant, vestibus regiis. Immo dedit ei partem proventus agri Antiocheni, quem Arabes ceperant: miratusque est Saladinus de Principe, quod sine pavore, et fidenter se accesserat eumque idcirco magis honoravit, et cum pace dimisit. Hinc abiit Saladinus Damascum. Rex vero Angliæ constituit Accæ Comitem Henricum filium sororis suæ. Ipse mare trajecit, ut in patriam rediret. Fertur, eum obiisse, antequam adveniret.



Notæ in Excerptum præcedens.

CUM hoc excerpto omnino conferendus est Bohadinus in Vita Saladini, Lugd. 1732. p. 169—268, quem Abulpharagius certo præ oculis habuit, hic illic tamen deseruit. Annotabo tantum, ubi recedit. Consule etiam Modern Part of Univerf. History, Vol. III. p. 499—523; et Historiam Dynastiarum, Lat. p. 275. 276.

P. 5. l. 1. Tum] postquam multi Germanorum quos Imperator adduxerat, in itinere perierant, eorumque pauci Accam pervenerant, anno 1190. vid. Univ. Hist. 3, 488.

P. 5. l. 1. Angliæ] Vocatur a scriptoribus Arabicis *Al Anketar* vel *Al Ankethîr*, v. l. c. p. 499. not. ab ipso Abulpharagio الانكيتار *Al Ankitar* in opere Arabico, qui semel tantum ejus meminit p. 420; at ab eodem accuratius in Syriaco; } } } *Anglitar*, *Angleterre*, *Anglia*.

P. 5. l. 2. Accam] alias Ptolemais. De hac ceterisque urbibus in hoc fragmento vide immortalis Schultens. indic. Geogr. subjunctum vitæ Saladini. Pervenit Accam Richardus anno 1191, qui infra memoratur.

P. 5. l. 3. 20 Emiræ] Hunc numerum non inveni apud Bohadinum p. 174. Maimbourg History of the Crusade p. 203, quinque adfuisse dicit. Matthæus Prior Hist. Angl. p. 212 septem nominat.

P. 5. l. 3. Arabici] ad litteram hic et alibi: Taiyensium. Quæ est tribus Arabum v. Pocockii Specim. Hist. Arab. p. 44: Castelli Lex. &c.

P. 5. l. 7. parum periti] Nihil de horum imperitia apud Bohadinum.

P. 5. l. 8. noxa] Syr. } } } quod nomen substantivum ut mihi videtur, Lexicis deest; facile tamen intelligendum ex } } } *laſit*.

P. 5. l. 15. ne accuses] hæc oratio paulo aliter apud Bohad. p. 172.

P. 5. l. 16. fermonem meum] MStus optimus pro } } } a prima manu } } } ; sequior manus } } } imposuit; recte: atque sic manifesto in altero. Ejusmodi παραρρήματα, dum describebam, modo ex hoc modo ex illo codice statim emendavi: falsa lectione, ne in schedis quidem

meis, ubi res patebat, memorata ; multo minus lectorem diligenti vitiorum enumeratione, cujuscunque illa utilitatis sit in libris sacris et auctoribus classicis, defatigabo.

P. 5. l. 21. si vos accipietis] i.e. si finetis dona inter nos commutari.

P. 5. l. 23. [prædatrices] inserui ex Bohadino p. 172.

P. 5. l. 24. gallinas] } *ܘܢܝܘܘܠܐ*; paulo post } *ܘܢܝܘܘܠܐ*; immo MS 52 priori loco } *ܘܢܝܘܘܠܐ*: quæ sunt discrepantiæ orthographicæ.

P. 5. l. 27. accipitres prætendit] Assem. Bibl. Orient. T. 2. p. 262. } *ܘܢܝܘܘܠܐ* } *morbum causatus est.*

P. 5. l. 29. } *ܘܢܝܘܘܠܐ* columbas] Auctoritate Lexici Castelliani, quod omittit } *ܘܢܝܘܘܠܐ* *columba*, impulsus, meæ ipsius memoriæ diffusus, credebam vocem non Syriacam esse ; corrigereque volebam } *ܘܢܝܘܘܠܐ* } *pisces*. At cl. Ford, Professor L. Arabicæ dignissimus, in aliis Lexicis eam mihi amice monstravit. Ecce tandem est in ipsa appendice Lexici Castelliani. Hanc igitur, Syriacæ linguæ cultor, non negligito.

P. 6. l. 2. rerum] } *ܘܢܝܘܘܠܐ* Bar Bahlul in Lexico MS explicat per } *ܘܢܝܘܘܠܐ* } *quod recens evenit dictum, vel factum.* Hoc melius hic et infra quadrat, quam Castell. } *fabula, querela.*

P. 6. l. 4. miserunt] } *ܘܢܝܘܘܠܐ* } *miserunt.* Sed hæc numerorum mutatio usitatissima in MSS Syriac. Confer infra in Syr. p. VIII. l. 14 & 15.

P. 6. l. 6. animum advertēbat] Castell. tantum } *ܘܢܝܘܘܠܐ* } *liberalis fuit.* Sed conjugatio activa frequentatur Abulpharagio in hoc opere, e. g. p. 347 apogr. mei ubi construitur cum } *ܘܢܝܘܘܠܐ* } *ut hic loci, unde certus sum me recte vertisse.* Dolendum est, neminem adhuc indicem confecisse verborum Syriacorum quæ in libris ab Affemanis editis occurrunt : unde sine dubio lux affulgeret etiam huic voci. Postquam hæc scripseram : incidi in } *ܘܢܝܘܘܠܐ* } *constructum cum } *ܘܢܝܘܘܠܐ* } *in Assem. Bibl. Orient 2, 273, occupatus in.**

P. 6. l. 10. ad incitas redactos] } *ܘܢܝܘܘܠܐ* } *præter alia, dejecit, diruit,* in Assem. Bibl. Orient. (pagina mihi excidit) unde } *ܘܢܝܘܘܠܐ* } *exitiam,* quo sensu etiam infra occurrit, et passim in Chronico ; immo in Assem. Bibl. Orient. Locus tamen non statim succurrit.

P. 6. l. 13. respondit] De hac conditione a Saladino oblata silent ceteri historici.

P. 6. l. 16. ceteras] non enim armis expugnaverat Accam ; quippe ei dedita fuit ab incolis, antequam obsideretur. vid. Histor. Dynast. p. 273. coll. Un. Hist. 3, 464.

P. 6. l. 22. intra 14 dies] Terminum non habet Bohadinus, sed Vinifauf in Richardi Itin. Hierosol. p. 341 (Vol. 2. Hist. Anglic. script. Oxon. 1687) unius mensis terminum præfixum esse ait. Bromptonus in Chronico, (Hist. Angl. script. Londini 1652. col. 1205) et alii 40 dierum; Abulpharagius Arabicus, p. 275. 2 mensium.

P. 6. l. 24. Comites et Conti] Syr. } ܘܚܘܒܝܢ. Ultimum est Gallicum *Comte*, vel potius Italicum *Conte*. Infra Comes Henricus vocatur ܘܚܘܒܝܢ et in fine excerpti ܘܚܘܒܝܢ. Utrumque deest in Lexico Castelli; neque ejusmodi verba in opere quærenda sunt, quod alias maximum jure appelles.

P. 6. l. 28. uno ore] secundum Bohadinum confusæ erant sententiæ, et Saladinus pacem ea ratione pactam reprobabat p. 180. At Vinifauf l. c. p. 340. *Saladinus petitionibus obsessorum tandem decrevit annuendum; præsertim hoc eidem persuadentibus Admiraliis suis et Satrapis et amicis potentibus quorum erant parentes et cognati et amici obsessi &c.* Jucundum est, consensum hujus auctoris minime infimæ auctoritatis cum Abulpharagio etiam in aliis notare. Vide igitur, quam verum sit quod Renaudotius judicavit Hist. Patriarch. Alex. p. 477. Orientales historiarum scriptores ne cum maxime sordidis quidem Latinis comparari posse.

P. 7. l. 4. Betati] Castell. in Lex. ܘܚܘܒܝܢ pl. ܘܚܘܒܝܢ *vestis spec. plagula ex serico crudiore.* Abulpharag. ad verbum paulo ante: *vestes asininas.* Rem ipsam alii aliter narrarunt. Immo Abulpharagius sibimet ipsi in operibus Arab. et Syriac. non satis constat. Certum est, ferociter et crudeliter egisse Francos.

P. 7. l. 5. statio] ܘܚܘܒܝܢ ipsissimum Arab. ܘܚܘܒܝܢ quod Bohadinus adhibet p. 184, in hac ipsa historia; et alibi.

P. 7. l. 7. 100800] Hunc numerum apud Bohadinum non legi.

P. 7. l. 9. mense Ab] respondet nostro Augusto; et septimus Arabum est Resjeb, quo trucidatio Musulmannorum facta est. v. Bohadin. p. 183. sed Acca expugnata est mense Julio secundum omnes Historicos; neque ab his dissentit Abulpharagius.

P. 7. l. 9. memoriam] ܘܚܘܒܝܢ pro ܘܚܘܒܝܢ; quæ aphæresis literæ } apud Syros non infrequens. Vellem } signum gignendi casus ante ܘܚܘܒܝܢ non deesset.

P. 7. l. 10. volumina] ܘܚܘܒܝܢ *Conjunctio, commistura*, Castello; sed speciatim eam indicari quæ fit in ligandis libri foliis, unde *volumen*; certo

certo patet ex p. 265, et 390 apographi mei Abulpharagiani, ubi de libro fermo est, qui constat {جدا؛ صفا} *quatuor voluminibus.*

P. 7. l. 24. Levonum] Hic princeps modo {لوه} modo {لوه} appellatur, æque ac Latini scriptores eum modo *Levonum* vocant e. g. Sanutus Torfel. Secret. fidel. Cruc. in Gesta Dei per Francos edit. Bon-garf. T. 2. p. 201 modo *Leonem* e. g. Otho Frisingensis in Chron. p. 215. vid. German. Histor. T. 1. Francof. 1585. Similem expeditionem contra filium Leonis, Armenum, refert Bohadinus ad annum 576 i. e. C. 1180.

P. 7. l. 27. mensuras] {مكوك} ex {مكوك} *mensuræ genus* interpre-tandum. Si silent Lexica Syriaca: raro cognatæ dialecti Arabica et Chaldaica destituunt.

P. 7. l. 32. interjacet] hoc parum accurate dictum. vide mappas Geograph. et Sandy, qui in itin. p. 118. Askelone profectus Hieroso-lyma de Joppa dicit: *out of my way.*

P. 7. l. 33. servare eam] addidi [Askelonem.] De hac enim delibe-raverunt Arabes, num servanda esset nec ne. v. Bohad. p. 198.

P. 7. l. 35. Moez Aldinus] De ejus nuptiis nihil apud Bohadinum, p. 203. Hunc filium Kelig Arflani historia dynastiarum non memorat, p. 276.

P. 8. l. 21. Templariis et Hospitalariis] {قوت} {قوت} {قوت} Syriacis litteris expressit {قوت} {قوت} {قوت} Bohadini p. 209. Sæpe ci-tantur in Chronico, præmisso interdum titulo {قوت} {قوت} {قوت} *fratres* vel {قوت} {قوت} {قوت} quod est Gallicum *freres*, vel utroque.

P. 9. l. 2. Miapharekita] Arabice sonat Miapharekina.

P. 9. l. 2. magno odio] scriptores Muhammedani eum laudibus ex-tollunt (vid. Univ. Hist. 3, 512) qui hoc ejus factum reticuerunt.

P. 9. l. 4. Gabalgur] {جور} Arabice {جور} *Montana Sjauri* vel *Giauri.* vid. Schult. indic. Geogr. v. Sjaurum.


P. 9. l. 7. confensurum] Hæ minæ non apud Bohadin. p. 225.


P. 9. l. 15. ex vulgo] Bohadin. p. 216. *capti duo equites nobilissimi.*

P. 9. l. 17. fixeruntque Franci] videtur secundum Bohadin. p. 216. ab Arabibus fixum fuisse.

P. 9. l. 23. decebat] {مراك} in hoc verbo aqua mihi hæret. Retuli ad {مراك} vid. Lex. Cast.

P. 9. l. 29. redemit] De captis hoc tempore redemtis, nihil apud ceteros historicos.

P. 9. l. 32. Marchio] Hæc de cæde Marchionis narratio est maxime insignis pars Excerpti. Sed prima sententia difficultatibus laborat; et vix credo, me sensum verborum  recte cepisse. Quicumque vero is fuerit, veram dissidii causam Abulpharagius ignorasse videtur: quæ nulla alia erat, quam quod Marchio suas copias regiis conjungere hæctenus detrectaverat. Deinde conditiones fœderis cum Saladino sanciti aliter dantur apud Bohadinum p. 213, et Vinisaufr in itinere Hierosol. p. 385. Turbat etiam sententiam, quod initio *Marchio vero* dicitur, et paulo post *igitur promisit*.


P. 9. l. 35. Daram] scilicet defendendam contra Francos. Hanc enim et Gazam Richardus nuper exploraverat, quomodo capi possent. v. Iter Hierosol. p. 382. Eadem urbs mox .

P. 10. l. 1. Ismaelitæ habitu monachorum] Abulfeda in excerpto p. 55 subjuncto vitæ Salad. *occiderunt eum Batinitæ qui habitu Monachorum in urbem irrepserant*. Ismaelitæ iidem sunt cum Batanitis, vid. Herbelotii Biblioth. Orient. v. Bathania et Ismaelioun. Audiunt Assafini scriptoribus Latinis.

P. 10. l. 3. fugiebat in ecclesiam] Vinisaufr in Itin. Hierosol. p. 386, *unus homicidarum statim detruncatus est, alter vero in ecclesiam quandam se statim immisit*.

P. 10. l. 8. regem Angliæ eos misisse] Ita etiam Bohadin. p. 225; nihil de suo addens. Minus igitur accurate compilatores Univ. Hist. 3, 516 asserunt, Bohadinum affirmasse, Richardum sicarios hos conduxisse.

P. 10. l. 9. Franci crediderunt] Itin. Hierosol. Caput 27 inscribitur: *Franci quidem [l. quidam] ex invidia infamant Regem Richardum super occisione Marchisi*. W. Hemingford in Chron. (script. Anglic. Vol. 2) p. 532 — *infamantibus Regem Anglorum super hoc præcipue Francis*.

P. 10. l. 11. Sinanum] Hic dux Ismaelitarum memoratur etiam Abulfedæ excerpt. p. 23. Latini scriptores tradiderunt, Marchionem a *seniore de Musse* (vid. Vinisaufr, p. 387) vel a *Sene de Monte*, principe gentis Orientalis, quam Hassifinos vocant (vid. Brompton, col. 1268. quid si *Senex* corruptum sit ex *Sinan*; *de Monte* vero, quia montana incolebat) occisum fuisse. Sed verum ejus nomen adhuc desiderabatur: quod nostra diligentia supplevit. De hoc Sinano juvat locum adscribere ex Chronico Abulpharag. p. 364 apographi mei 

E

فكل سنة قتلوا به في سنة ٥٠٠ قتيلا. واما سنة ٥٠٠ هـ
 حلا فحسب طاعة مصر من قتلها. واما سنة ٥٠٠ هـ
 فحسب لاني من سنة ٥٠٠ هـ. وفي سنة ٥٠٠ هـ
 وبعدها سنة ٥٠٠ هـ. وفي سنة ٥٠٠ هـ
 فحسب سنة ٥٠٠ هـ. وفي سنة ٥٠٠ هـ
 وبعدها سنة ٥٠٠ هـ. وفي سنة ٥٠٠ هـ
 وبعدها سنة ٥٠٠ هـ. وفي سنة ٥٠٠ هـ
 وبعدها سنة ٥٠٠ هـ. وفي سنة ٥٠٠ هـ

Hoc anno (scil. Arabum 589, C. 1193) obiit etiam Sinanus dux Ismaelitarum Mizratbae; (rectius, Masiatae. vid. Schult. Ind. Geogr.) eique successit Persa quidam, nomine Nasar. Tremendus vero hic Sinanus erat omnibus Regibus Arabum et Francorum. Paraverat cultros, super quorum quolibet erat nomen regis cujusdam. Hunc cultrum quum daret homini suarum partium: hic vel per profundum maris iret, ad implendam voluntatem ejus. Imbutus fuit sapientia exterorum; et migrationem animarum sive opinionem Platoniam docuit affectas suos. Quare mortem contemnebant, quippe ex mundo non egressuri, etiamsi occisi essent. Interdum se subducebat, rumorque percresebat, eum mortuum esse. Sed mox sese iterum manifestavit. Quare etiamsi mortuus esset, focii ejus noluerunt credere, eum mortuum esse. Cum his operæ pretium est conferre, quæ Vinisauus et Bromptonus de eodem Principe retulerunt. Ille p. 387: Senior quidem de Musse de more hæreditario quam plurimos in obsequio suo solet educare pueros nobiles in palatio suo, quos docere facit omnem prudentiam et doctrinam, et diverso instrui idiomate, quatenus ubicunque terrarum sine interprete in omni gente se noverunt familiariter gerere. Est autem eorum crudelitas crudelis nimis et obscura, ad quam sectandam maxima cura et sollicitudine imbuuntur discipuli: Igitur quos ille senior perpenderit adultæ fuisse ætatis ascitos facit stare coram eo, quibus in remissionem omnium peccatorum injungit aliquem, quem ipsis expresserit ex nomine, virum potentem et tyrannum, huic subducere vitam

vitæ; in hujus etiam executionem ministerii singulis singulos cultellos con-
tradit horrificæ longitudinis acutos. In hujus obedientiam mandati devo-
tius insistentes absque dilatione procedunt, quousque ad quemcunque præ-
notatum pervenerint tyrannum in cujus tamdiu persistunt obsequio, donec
tempus nacti præmeditatum consummaverunt negotium, tali se speran-
tes obsequio gloriam promeruisse cælestem. Hujus nimirum extiterant
sectæ qui Marchisum nefarie peremerant. Bromptonus in annal. col.
1268 vel potius ipse fenex de Monte in epistola, quam purgandi Ri-
chardi ergo ad regem Franciæ miserat: Consuetudinis nostræ est eos
qui nobis vel amicis nostris, in aliquo injuriosi extiterint, primo ut nobis
satisfaciant ammonere. Quod si contemserint per ministros nostros (qui
tanta nobis devotione obtemperant ut se a Deo gloriose remunerandos
non dubitent; sed mandatum nostrum exequendo occurrant) cum severi-
tate ultionem expetere curamus. Obiter corrigimus mendum in loco
huc faciente Chronici Hemingford p. 532. Capti (qui Richardum
interemerunt) et ad mortem ducti, nihil quidem certum confessi sunt.
Creditur tamen quod fuerunt de ALTE NUTRITIS qui mortem non me-
tuunt ut jussa majorum adimpleant credentes in hoc se posse salvari:
ubi non facile quis expediverit, quid sibi velit de alte nutritis. Le-
gendum videtur de Almutitis: quippe Almut s. Alamut præcipuum
erat Ismaelitarum castellum. vid. Herbelotium v. Bathania. Occurrit
etiam in histor. Dynast. p. 331.

P. 10. l. 13. quum gravida esset] hoc factum alibi non reperi.

P. 10. l. 34. sed Antiochia] in utroque MSto ⲗⲟⲩⲁⲛⲟ nunc le-
 gitur, sensu nullo vel absurdissimo. Sed copula ⲟ in Hunt. 52 se-
 quioris manus esse videtur, et paulo infra lineam positum. Quare in
 editione omisi, et in versione particulam necessariam supplavi.

P. 11. l. 15. Bar Mashtub et Karakush] De posteriori tantum Boha-
 dinus p. 267. *Millia aureorum octoginta ab eo exacta audiui. Fides fit*
penes auctorem. Ambo celebrantur etiam a Latinis scriptoribus. Vi-
nisauf, p. 339. duo Saracenorum nobiliores et totius paganismi nomina-
tissimi Mestocus et Caracois. Brompton. col. 1213. Mestok qui erat
Admiraldus de Roais — Carracois qui erat Saladini summus constabula-
rius et eunuchus.

P. 11. l. 15. Græcus] ⲗⲟⲩⲁⲛⲟ hic sumendum, ut ⲗⲟⲩⲁⲛⲟ quod non Ro-
 manum solum denotat, sed potius Græcum, Romano imperio olim sub-
 ditum.


ditum (v. Lexica). Accedit auctoritas Abdollatiphi, in loco mox citando, qui hunc eundem Karakushum رومي, appellat, recte verum a Pocockio fil. *Græcus*.

P. II. l. 17. struxit murum] de hoc muro Abdollatiph in historiæ Ægypti compendio, quod mox integrum, ut sperandum, cum eruditis notis Cl. Whitii edetur; p. 85. in parte impressa, licet nunquam publici juris facta, *fuit in Algiza magnus [Pyramidum] numerus: at parvæ erant et dirutæ sunt tempore Salab Oddin Josephi Ebn Job, auspiciis Caracafi cujusdam ex principibus. Hic vero Eunuchus Græcus fuit (وكان حاصبا روميا) elato animo, qui præfuit Ægyptiis: Hic etiam fuit, qui murum lapideum extruxit, qui Al Phustat et Al Cabrun (بالفسطاط والقاهرة) quodque ea interjacet, arcemque etiam, quæ est juxta Al Mokattem, cingit &c.* Pocockius refert in *Descript. of the East, Vol. I. p. 26.* muros circa Phustatum et Chaherum a Saladino conditos dici. Confer Niebuhrii *Reisebeschreibung, Vol. I. p. 106. 107.*

P. II. l. 21. denariis] Vinisau, p. 388. *Mestoc — redemptus abire liber permixsus est.* Brompton, col. 1213. *Omnes hi pro vita et membris pecuniam multam regi et magna Christianis auxilia promittebant.*

P. II. l. 34. Fertur] de hoc rumore nihil apud Bohadinum.

T A N T U M.



فتتبعنا لقلوب قلوبه لا اوتيه . هل سينا؟ يا ربي انى
ويعا؟ {تصدقنا} يعوذ {س} . صلاتا {س} {تصدقنا}؟
يا رب وز حمصه اوزن . {س} يعينه لا اوتيه {تصدقنا} مدلا
حسنة حب وحبنا حبه؟ لا يعده . {س} لا يسهه فتتبعنا {س}؟
يعوذ حلا {س}؟ . {س} يعدهه حمصه حب وينا . {س}؟
{س}؟ . {س}؟ حبه . حبه حوصنا يعدهه فتتبعنا {س}؟
{س}؟ {س}؟ حبه حوصنا {س}؟ حبه حوصنا {س}؟
{س}؟ حوصنا ولب الكرم وحبنا حبه حوصنا {س}؟
حلا {س}؟ . {س}؟ حبه حوصنا {س}؟ حوصنا {س}؟
{س}؟ {س}؟ حوصنا حوصنا {س}؟ حوصنا {س}؟
{س}؟ {س}؟ حوصنا حوصنا {س}؟ حوصنا {س}؟
{س}؟ {س}؟ حوصنا حوصنا {س}؟ حوصنا {س}؟
{س}؟ {س}؟ حوصنا حوصنا {س}؟ حوصنا {س}؟
{س}؟ {س}؟ حوصنا حوصنا {س}؟ حوصنا {س}؟
{س}؟ {س}؟ حوصنا حوصنا {س}؟ حوصنا {س}؟
{س}؟ {س}؟ حوصنا حوصنا {س}؟ حوصنا {س}؟
{س}؟ {س}؟ حوصنا حوصنا {س}؟ حوصنا {س}؟
{س}؟ {س}؟ حوصنا حوصنا {س}؟ حوصنا {س}؟

Excerptum Syriacum de RICHARDO, Angliæ Rege.

٥٠٦٠ ١٠٠
 ١٠٠
 ١٠٠
 ١٠٠
 ١٠٠
 ١٠٠
 ١٠٠
 ١٠٠
 ١٠٠
 ١٠٠
 ١٠٠







